



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Bellum Sacrum Ecclesiae Militantis Contra Turcum  
Communem Hostem Christianorum**

**Vaux, Léonard de**

**Leodii, 1685**

§. II.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64991](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64991)

expandit Jerusalem manus suas; & non est qui consolatur eam. Audite obsecro Principes, & populi Christiani, & videte dolorem matris vestræ Jerusalem Sanctæ, Domina gentium facta est sub tributo, vocat amicos suos, & Sacerdotes, & omnes filios, & ipsi contempserunt, deriserunt, & deceperunt eam.

## §. II.

**S**ed nunquid semper iratus est Dominus in populum suum? & abominatus est hæreditatem suam? Absit, postquam iratus fuit propter delicta populi sui, misericordiæ suæ recordatus est. Corda omnium Regum etiam infidelium in manu ejus sunt, quocumque voluerit flectit illa. Ipse est qui Loca Sancta fidelibus suis restituit per Constantinum magnum. Primi hujus Christianissimi Imperatoris Mater, sancta Helena, post filii conversionem, ejus jussu & sumptibus, Hierosolymam profecta, Loca Sancta religiosè venerata, in Bethleem, in Monte Calvariæ, & Oliveti, alibi que, Regiâ magni-

magnificentia Tempora, & Basilicas  
 exædificavit. Quare cœpit tum eò pe-  
 regrinatio, à fidelibus frequentari,  
 confluentibus è toto orbe, devotionis  
 ergo, Christianis. Ipse Sanctus Hiero-  
 nymus relictâ Româ in Bethleem se  
 transtulit, ut ad Christi incunabula  
 viveret, & moreretur; quem secuta  
 Sancta Paula, magnum post se trahens  
 Nobilitatis Romanæ agmen, ibidem  
 quatuor extruxit Monasteria, in qui-  
 bus, ipsa cum filiâ Eustochio, Chri-  
 sti paupertatem, humilitatem, & San-  
 ctitatem imitata, vitam egit Religio-  
 sam, & cœlestem. De quâ Hierony-  
 mus, in ejus Epitaphio hæc habet:  
 „ Bethleem ingressâ, & in specum Sal-  
 „ vatoris ingrediens me audiente jura-  
 „ bat, cernere se oculis fidei, Infan-  
 „ tem pannis involutum, vagientem in  
 „ præsepi Dominum, Magos adoran-  
 „ tes, Stellam fulgentem desuper  
 „ Matrem Virginem, Pastores nocte  
 „ venientes, ut viderent Verbum quod  
 „ factum erat; & jam tunc Joannis  
 „ Evangelistæ principium dedicarent:  
 „ In principio erat Verbum, & Ver-  
 „ bum Caro factum est; mixtisque

**F**

„ gaudio lacrymis loquebatur: Salve  
 „ Bethleem domus Panis, in quâ na-  
 „ tus est ille Panis qui de Cœlo descen-  
 „ dit. Salve Ephrata Regio uberrima,  
 „ cujus fertilitas, Deus est.

Constantinum magnum secutus est  
 Heraclius Imperator anno Domini  
 628. Cœlestibus de Cosroë Persarum  
 Rege potitus victoriis, crucem Chri-  
 sti ipsi ereptam Hierosolymam Victor  
 reportavit, ac deposito regali cultu,  
 detractisque calceis, & plebeio ami-  
 ctu indutus, illam propriis humeris  
 retulit in eum montem quo eam Salva-  
 tortulerat, ac in eodem Calvariaë lo-  
 co statuit, undè à Persis, fuerat as-  
 portata.

Ita Sanctæ Trinitatis, Christi que  
 injurias ultus Heraclius, hæc de Per-  
 sis vindicias dedit, imò reddidit Hie-  
 rosolymæ: Jerusalem enim est Civitas  
 Dei electa, Sancta & Gloriosa, fun-  
 data in montibus Sanctis, Centrum &  
 umbilicus mundi, urbs perfecti deco-  
 ris, gaudium universæ terræ, Para-  
 disus orbis, quæ tanquam Regia in-  
 ter omnes urbes, velut caput in cor-  
 pore, sicut sol inter astra effulget,

quasi Ecclesiæ militantis capitolium ;  
triumphantis typus & præludium.

§. III.

**P**ost Constantinum & Heraclium  
Imperatores Christianissimos, Ur-  
banus II. Pontifex maximus, æternum  
decus & gloriam immortalem sibi repe-  
rit ; unde & monumento ejus hoc  
elogium inscripserunt : Urbanus II.  
Auctor expeditionis in infideles , cùm  
Concilio apud Clarummontem habito,  
anno Domini 1095. Ita Principes  
Galliæ ad recuperandam Hierosoly-  
mam à Saracenis jam diu occupatam  
animavit, ut non dubitaret mori, pro  
illâ Civitate, in quâ Christus pro no-  
bis mortuus est. Quare effecit, ut tre-  
centa hominum millia nomen in mili-  
tiam Christi dederint, signumque cru-  
cis susceperint : atque inter alios, mul-  
ti Principes , Duces, Comites, in qui-  
bus eminuit Godefridus Bullonii Dux,  
vir secundùm cor Dei, præstantis ani-  
mi, Religionis, & fortitudinis : qui  
quàm facilè Terra Sancta à Christianis  
recipi possit, ostendit, dum parvis